



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XI. De paucitate amatorum Crucis Jesu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

piunt , & semper in idipsum ten-  
dunt.

5. Esto igitur gratus pro minimo,  
& eris dignus majora accipere.

Sit tibi minimum, etiam pro ma-  
ximo: & magis contemptibile, pro  
speciali dono.

Si dignitas datoris inspicitur, nul-  
lum datum parvum , aut nimis vile  
videbitur. Non enim parvum est,  
quod à summo Deo donatur.

Etiam si pœnas & verbera dede-  
rit, gratum esse debet : quia semper  
pro salute nostra facit , quidquid  
nobis advenire permittit.

Qui gratiam Dei retinere deside-  
rat, sit gratus pro gratia data, patiens  
pro sublata. Oret ut redeat : cautus  
sit & humilis, ne amittat.

## C A P U T XI.

### *De paucitate amatorum Crucis Iesu.*

**H**abet JESUS nunc multos ama-  
tores regni sui cælestis , sed  
paucos bajulatores suæ crucis.

G 2

Mul-

Multos habet desideratores consolationis, sed paucos tribulationis.

Plures invenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ.

Omnis cupiunt cum eo gaudere, pauci volunt pro eo aliquid sustinere.

Multi Jesum sequuntur usque ad fractionem panis: sed pauci usque ad bibendum calicem passionis.

Multi miracula ejus venerantur, pauci ignominiam crucis sequuntur.

Multi JESUM diligunt, quandiu adversa non contingunt.

Multi illum laudant & benedictunt, quandiu consolaciones aliquas ab ipso percipiunt.

Si autem Jesus se absconderit, & modicum eos reliquerit; aut in querimoniam vel in dejectionem nimiam cadunt.

z. Qui autem Jesum propter Jesus, & non propter suam propriam aliquam consolationem diligunt, ipsum in omni tribulazione & angustia

eo cap

gustia cordis, sicut in summa conso-  
latione, benedicunt.

Et si nunquam eis consolationem  
dare velleret, ipsum tamen semper  
laudarent, & semper gratias agere  
vellent.

3. O quantum potest amor Jesu  
purus, nullo proprio commodo vel  
amore permixtus!

Nonne omnes mercenarii sunt di-  
cendi, qui consolations semper  
quærunt?

Nonne amatores sui magis quam  
Christi probantur, qui sua commo-  
da & lucra semper meditantur?

Ubi invenietur talis, qui velit  
Deo servire gratis!

4. Rarò invenitur tam spiri-  
tualis aliquis, qui omnibus sit nu-  
datus.

Nam verum pauperem spiritu, &  
ab omni creatura nudum, quis in-  
veniet? Procul & de ultimis finibus  
premium ejus.

Si dederit homo omnem substanciam  
suam, adhuc nihil est.

G 3

Et si

Et si fecerit pœnitentiam magnam,  
adhuc exiguum est.

Et si apprehenderit omnem scien-  
tiam, adhuc longè est.

Et si habuerit virtutem magnam,  
& devotionem nimis ardenter, ad-  
huc multum sibi deest : scilicet u-  
num quod sibi summè necessarium  
est.

**Quid illud ? Ut omnibus relictis**  
**se relinquat ; & à se totaliter exeat,**  
**nihilque de privato amore reti-**  
**neat.**

Cùmque omnia fecerit, quæ fa-  
cienda nōverit, nil se fecisse sentiat.

5. Non grande ponderet, quod  
grande æstimari possit : sed in veri-  
tate servum inutilem se pronuntiet,  
sicut Veritas ait : Cùm feceritis om-  
nia quæ præcepta sunt vobis, dicite:  
Servi inutiles sumus.

Tunc verè pauper & nudus spiri-  
tu esse poterit, & cum Propheta di-  
cere : Quia unicus & pauper sum  
ego.

Nemo tamen isto ditior, nemo  
poten-

potentior, nemo liberior qui se & omnia relinquere scit, & ad infimum se ponere.

## C A P U T XII.

### *De regia via sancte Crucis.*

I. **D**urus multis videtur hic sermo: Abnega temeratum, tolle crucem tuam, & sequere Jesum.

Sed multò durius erit audire illud extremum verbum: Discedite à me maledicti in ignem æternum.

Qui enim modò libenter audiunt, & sequuntur verbum crucis; tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis.

Hoc signum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit.

Tunc omnes servi crucis, qui se Crucifixo conformaverunt in vita, accendent ad Christum judicem cum magna fiducia.

G 4

2. Quid